


43885



268



I. N. J.
Nuptiis Florentissimis
 VIRI
Clarissimi,
DN. M. CHRISTOPHORI
POMARII,

Gymnafii Mario-Magdalenæi Conrectoris
 & Profeforis Solertiffimi Meritiffimiq;,
 Et
 Fœminæ

Leçtiffimæ Pudiciffimæq;,

MARTHÆ RÜGERIÆ,

Vratislaviæ 4. Non. Octobr.

Anno O. R. clc Icc LXVI.

Ritu inter Christianos Solemni

feliciter celebrandis,

ex animo gratulantur


Fautores & Amici.

Vratislavienfes

VRATISLAVIÆ,

Typis BAUMANNIANIS, exprimebat
 JOHANN. CHRISTOPH. JACOB.

I. Marzifcent




 **U**æ dedit alma **Tibi**, **POMARI**, nobile munus
Bresla, dat officii quæ relevabit onus.
Sueta etenim pridem sociæ **RÜGERIA** vitæ,
Dulcis in amplexus **MARTHA** medela venit.
Sed quid Bresla? Favor supremi Numinis isthæc
Ocia ut & Thalami gaudia casta parat.
Sic placet in docto vigilatas culmine noctes
Cingere, sic studiis præmia ferre Tuis.
Concedat longum geminati muneris usus
Gratia larga **DEI**, qui dedit ista, precor.
Sit Schola sitq; Domus, quo surgat Fama, Theatrum,
Utraq; sit Sortis fausta Cathedra Tuæ!

*Clarissimi Sponsi prolixæ felicitati pauco
acclamans metro scribeb.*

L. M. Q.

M. ADAM EZLERUS, Ecclesiastes
& S. S. Literarum Profesfor Elisa-
betanus, Consistorii Assesor.



Magdaleo stirpes, **POMARI**, educis in horto
Hactenus, adductas quas aliunde capis.
Nunc tibi proprium thalami conceditur hortus,
Germina producat qui genuina tibi.

Felix

*Felix in ludo, inq̄ toro POMARIUS esto,
POMIFERUMq̄ domi det tibi Nupta NEMUS!*

Novis Conjugibus
merito, atq; optimo jure gratu-
lans facieb.

*M. ELIAS MAJOR, P. L. C.
Gymnasii Vratislaviensis Elisabethani
Rector.*

Idyllum nuptiale.

Pierias inter lauros succrevit amœna
Pomus, quam Clio nutritam virgine fontis
Castalii lymphâ proprios eduxit in usus.

Autorem dominamq; suam sentire videtur
Arbor, sic latum diffundit in aera frondes
Fætas. Nam Cyrrhæ resonum complexa viretum
Musicolæ pubi ramis proclivibus offert
Maturas fruges & succi mala salubris.

At sine stirpe sui generis viret hæcenus arvo
In Clario & teneros Phœbi daphnonas inumbrat.

Venerat huc nuper, bigâ devecta volucris,
Cypris, ut Aonidum vocales viseret hortos:
Quæ cernens Pomum solam proflare virenti
In clivo, doctas sic est affata puellas:

Quid juvat agnato solam sine germine Pomum
Hoc sevisse solo, quam cum destruxerit ævi
Improba vis, dulci malorum fruge carebit

Posteritas? Quod si sterilis producere lauri
Innumeram subolem curæ est, quæ præter inanes
Umbras & vatum frontes lambentia macras
Stemmata nil lucri confert: Cur surgere plures
Non finitis Cyrrhæ sub aprico culmine Pomos,
Unde nepos carpat sibi munera vesca futurus?

Jam faxo, vobis ne forsitan copia desit
Malorum, & Pomo sociabo faventibus astris
Fructiferam stirpem, quæ cultos augeat hortos.

Hæc ubi dicta dedit mater genialis amorum,
Pomo stillanti penitus penitusq; rigatum
Nectare & ex Erycis tralatum vertice germen
Adjungit mixtosq; jubet protendere ramos.

Ergò suum nemus augeri jam traduce suavi,
Et nasci geminâ Pomorum stirpe viretum,
Lætantur gemino Parnassi in colle Camœnæ,
Augmentumque ferax plantis, quas omine fausto
Pomifer autumnus sociavit, cœlitus optant.

*Clarissimo Sponso, Collegæ charissimo, hoc quicquid est
carminis tralatiti, boni ominis explicandi gra-
tiâ, offerebat*

*M. JOHANNES FECHNERUS, Gymnasii
ad D. Mariæ-Magdalænæ Rector.*

Ad CL. DN. SPONSUM.

Post expectatam patienti mente per annos
Haud paucos sortem, sors bene grata venit.

Ut

Ut TIBI cum Sparta Scholica, quoq; MARTHA Marita
Ex animi votis læta lubensq; datur.
Nam præstolantes confidentesq; Jehova
Ne pereant toti, cum periére, facit.
Uttere sorte novâ. Tibi Sparta Scholastica molem
Haud ferat, at prolem MARTHA Marita ferat.
Sic etiam expedient mala passi longa. Piorum
Sera, tamen læto fors pede læta venit.

L. M. Q.

Amico veteri gratul.
scr.

M. FRIDERICUS VICGIUS,
ad S. Elisabeth. Symmysta

ΧΡΙΣΤΟΦΟΡΟΣ ΠΩΜΑΡΙΟΣ

καὶ ἀνάγραμμα
(τὰ αἰς ι.)

Φορὸς, Χρῆσῶ πόρεμος.

Fructuosus, CHRISTO viam sternens;
vel, mutatâ una accentuatione;

Φόρος Χρῆσῶ πόρεμος.

Veſtigal CHRISTO lucrosum.

Evolutio Metaschematismi.

Τίς Νεὺμφος ἔη ἴν, Βρατεσίλεια, ἐρωλᾶς; VV
Ἔσι ΦΟΡΟΣ ΧΡΙΣΤΩ, Ἡ διδαχῆ ΠΟΡΙΜΟΣ.
Αὐτὰρ ἔη θαλερῆ τί δὲ δώσει ἀκοίτι ἀκοίτης;
Ἰδι ΦΟΡΩΝ ΧΡΙΣΤΩ, ἐσόμενον ΠΟΡΙΜΩΝ.

Γένοιτο ! Γένοιτο ! καὶ ἔτω Νεόνυμφος
Ἀμφότερον , βασιλεύς ἢ ἀγαθός , κρατερός ἢ αἰχμητής
γένειτο !

Sic

ἐπ' εὐνοίᾳ καὶ πιθεξιάτῃ

Sperando , ductu Lycophronio , vaticinatur ,
Jocando , metro Homericō , apprecatur

JOHANNES GEBHARDUS, Con-R.
& Bibliothecar. Elisabet.

Colentis Orbem principis Pomarii
Decerpfit Eva triste cunctis posteris
Pomum vetante cælico Pomario.
Hinc poma nobis hinc cadunt immitia,
Tractanda vigili dexterâ Pomariis,
Ut dulciorem præbeant tandem cibum,
Exercitatos hinc sibi Pomarios,
Patres, Magistros, Imperatores, volunt
Torus, Lyceum, Civitas, pomaria.
Est doctus Urbi Breslicæ Pomarius,
Cui dirigendum publicum pomarium
Pomis refertum fronde multâ floridis.
Hoc ille, quamvis fructuoso, non tamen
Contentus uno, procreaturus domi,
Quæ possit ipse, non nepotum gens modò,
Matura quondam poma lætus carpere,
Sibi novellum præparat pomarium
Cultor bonarum frugium Pomarius,

Uc

Ut ergo pomum vidit ille, fertilem,
Sed diligentis indigam Pomarii,
Ut expetivit in suum pomarium.
Transfertur Arbor, figitur novo solo,
Nunc quam notamus unico nitescere,
Posthac periti strenuis Pomarii
Subjecta manibus, indies foecundior,
Quot pollicetur poma cultori suo!

Hac ille Pomo gaudeat Pomarius,
Reddente pomum semet Autumno recens,
Donec tenellos in suo pomario,
Hac de parente, se Satore, traduces
Crevisse videat jam suis pomis graves,
Curam loquentes optimi Pomarii.

Vivat salubris publico Pomarius,
Domesticoq; providus Pomario!
Multis abundet ille malis, non malis,
Pomis beatus in suis pomariis!

*Florentissimis Sponsis felicissimum Matrimonium & optima quaes precans
L. M. Q. scribeb.*

MARTINUS HANNKIUS, Ph. M.
in Gymn. Elisab. Phil. Pract. Hist.
& Eloq. Prof.

Addo

Addomeum, non prolixum, sed per breve votum:
Auspicio fiat dexteriore Torus.
Gaudia multa ferat, tot post tot tædia febris.
Quæis affecta nimis Conjuga Biga fuit.
Fervor & algor abest omnis: nunc sospes Hygæa
Omnigenâ maçtet fertilitate domum.
Et quid vel majus, melius vel pangere possem?
Candida mens Voti sub brevitæte latet.

*

Nuptiis
Clarissimi & Doctissimi
DN. SPONSI,
Leotulo æger tentus
Ob casum
admodum gravem & periculosum,
quem
in publicis functionis meæ viis
perpesus;
Contus-iq; dextri pedis dolore obsesus,
Divinam verò opem
suspirans, sperans,
& expectans,
Collegialis adfectionis memor
L. M. Q.

adponeb.

WOLGANGUS STIRIUS.

Votum

Nr 332

ULB Halle

3

001 594 656




TA → OL



Retro: Stk. 39 - 42 unvollst.,
nicht in PICA

V077





B.I.G.

Farbkarte #13



N. J.
 lorenstissimis
 IRI
 issimi,
ISTOPHORI
LARI,
 gdalenæi Conrectoris
 rissimi Meritissimiq;
 Et
 mine
 Pudicissimæq;
RÜGERIÆ,
 Non. Octobr.
 clo Idc LXVI.
 stianos Solemni
 elebrandis,
 gratulantur
 & Amici.
 avienses

LAVIÆ,
 NIANIS, exprimebat
 ISTOPH. JACOB.

I. Mannifient

